




Ch  
2813

C. 18.





*Cl 256*

**DECLAMA  
TIO IN LAUDEM EBRI  
ETATIS, MIRE FESTI  
ua, Lipsiae in corona uirorum do-  
Etissimorum pronunciata, ante  
hac non edita.**

**ENCOMIVM  
MVSCAEE LVCIANO,  
Interprete Christophoro He-  
gendorphino.**

E B R I E T A S   L O  
quitur.

Vos compotores, Lurcones, uos Comedones.  
Currite, quos nostri, currite, tangit amor.  
En hodie nostræ reboabit buccina laudis  
Currite, io, molli cingite fronde comam.  
En hodie lapsum toto reparabitur orbe ATTI  
Imperium, o foelix terq; quaterq; dies.  
Quod si quis uestrum, Iuuenes, non uenerit, illi  
Imprecor, ut nunq; pocula plena bibat.  
Imprecor ut Bacchi nullo capiatur amore.  
Ut Cereris sapiant pocula nulla precor.  
Imprecor ut pulchris placeat non ille puellis.  
Qui timet hæc, hodie promptus adesse potest.

F  
I  
N  
S

# CLARISSI

MO VIRO FRANCISCO

PARCENIO SOLDANO IV

ris utriusq; Licentiato, Reuerendissimi  
in Christo patris ac Domini, domini Ioh  
annis, Episcopi Culmensis &c. à Se  
cretis, Christophorus Hegendorphi  
nus faustū nouum annū precatur.



OLENT, IAM NO-  
uo incunte anno, Francisce  
clarissime, christiani mutuis  
xeniolis inter se certare, qui  
ritus ut solennis est, ita mi-  
hi non omnino improbandus  
uidetur. Etenim ista ultiro ci-  
troq; missitandorum munerum uicissitudine, aliis ale-  
um admonet, ut si quid reliquiarum ueteris anni, an-  
imo suo insidet, iam nouo appetente anno, expuat,  
Christo, cum in omnium hominum, tum in priua-  
tam cuiuslibet salutem, in lucem edito, uiuere post-  
hoc meditetur. Huc enim munera missitandi consue-  
tudinem spectare puto. Quod si qui (ut rebus omni-  
bus ferè in peius abutimur) alio rectulerint, suo malo

aa ij

## ENCOMIVM

faciant. Ego uero, Clarissime Francisce, cum dispi-  
cerem, quo nam munere & consuetudini illi facerem  
satis, & iam ineuntis anni monumentum mitterem,  
mentem subiit, declamatio quædam in Ebrietatis lau-  
dem, à me quidem conscripta, sed à Iohanne Cono-  
pat, iuuene admodum studioso Lipsiæ in doctissimorū  
uirorū corona pronūtiata. Hanc igitur typis excusam  
ad te mitto, quæ licet prima fronte, non adeo Λωρού  
Ἐυσωρού, non adeo solenni illi mittendorū munerum  
consuetudini cogruere, uideri possit, tamen si pressius  
introspectiatur, nihil incepti à me tibi obtrusum esse, uel  
Momo iudice, contenderim. Siquidē Ebrietatis decla-  
mationem ad te mitto, non quod nos Ebrietatis studiū  
christiano hoīe dignū censeamus, non quod tibi illius  
studiū uelut ex Tripode persuadere cupiamus, sed ut  
conatum nostrum, in re illa tam ridicula, tam spur-  
ca laudanda uideres. Sed ut ueluti Glauco apud Plato-  
nem iniustitiam laudans, alterum quendam ad iusti-  
ciæ laudem prouocat. Ita nos Ebrietatis laude, te  
quoq; uirum eloquentissimum, ad σωΦεσύνης lau-  
dem lacefferemus. Et his duabus rationibus, opinor,  
me non tam tibi uiro optimo, q̄ onerosis illis χεισδλό-  
γισ facturum satis, qui alioqui, si forte istam meam  
declamationem legerent, clamare possent, me com-  
mūnem esse corruptelam hominum, me pestem esse  
Reipub.

## E B R I E T A T I S

Rcipub. Christianæ, ut qui homines, ad id uicij, orationis ueluti classico, inuitem, quo nullum est hominibus indignius, nullum detectabilius. At uero cum à me nihil aliud, q̄ styli periculum quæsitum, cum me, te ad sobrietatis laudem euocare, uoluisse, audierint, à calumnijs haud dubie abstinebunt. Requirēt multi copiosiorem argumenti huius tractationem. Requirēt multi elegantiā orationis, sed illam tempus, quod argumēto scribēdo dabatur, peregrinū, non permittebat. Hæc uero in uiribus nostris non erat, cōtentus à me occasiōnem uberius tractādi illis præbitā, qui longo scribendi usu, elegatiā orationis Atticā, sibi pepererūt. Tu uero Francisce optime, declamationē istam eo quo à me datur animo, accipe. Datur uero à me animo prorsus cādido, datur ut iam noui incuntis anni, immo mei potius μνημόσυνον quoddam apud te habeas. Datur ut breui, qua es eloquentia uir, sobrietatis laude, nos cum Ebrietate nostra ad palinodiam adigas. Quod si aliquando aliquid maturius, non admodum fertilis in genij nostri agellus produxerit, tibi quoq; mittetur. Iam præcoquum illum fructum, boni & equiq; facito. Bene uale in Christo IESV, & me Reuerendissimo in Christo patri & Domino, domino Ioanni Episcopo tuo, cuius literis, emoriar, si quid mihi iucundius unq; acciderit, ut soles, commendato.

aa iij

## ENCOMIVM



ON DVBI V M EST  
mibi, auditores iucundissimi,  
quin laudatus apud uos so-  
brios Ebrietatem, bis ebrius  
appariturus sim, partim  
quod homo ego iuuenis, di-  
cendi imperitus ex hoc sugge-

sto, in tanta literatissimorum uirorum corona, in  
tanta studiosorum iuueniū turba dicturus prodierim,  
partim quod de re tam absurdā, tam ridicula, tam  
Christiano homine, ut in speciem uideri potest, in-  
digna, dicturus uenerim. Sed agite, auditores opti-  
mi, quod ego ex hoc pulpito dico, non nouum exem-  
plum est, non à me hodie in scholas inuectum. Fue-  
runt ante me plures, licet ingenio, facundia me lon-  
ge superiores, iuuenes tamen fuerunt, qui hunc de-  
clamandi morem, aliquandiu explosum, in scholas  
magno studiorum nostrorum commodo, reduxerunt,  
illorum exemplo, immo uestra potius, auditores, be-  
nignitate animatus, hanc cathedralm concendi. Vos  
auditores, adeste æquo animo, & qui æquales meos  
candide audiuitis, me quoq; candide audiatis, oro.  
Ne finite quæso me mea de uobis apud animum con-  
cepta persuasione frustrari. Quod si me non expe-  
ctata dicendi facultas sequetur, si aliquando pronun-  
tiando

## E B R I E T A T I S

tiando me turpiter dedero, reputatē me iuuenem esse,  
qui eloquentiæ studiosus potius, quam eloquens esse  
possit, reputate me de Ebrietate dicere, quæ licet fa-  
cundissima sit, tamen sæpe uerborum torrente, uelu-  
ti tempestate quadam abrepta, hæret. Porro, quod  
de Ebrietate apud uos sobrios, dicturus prodij, nec  
ipsum culpare quis poterit, siquidem ut oculati po-  
tius q[uo]d oculis capti, de colore iudicant, sic uos sobrij q[uo]d  
ebrij probanda an exigenda sit Ebrietas, melius decre  
ueritis. Pro tribunalibus turpe iudicatur, si cognitio  
nem anteuertant calculi, nec sententia fertur, nisi cau-  
sa diligenter expensa. Vos prius quæso audite & rem  
cognoscite, deinde, si uidetur, damnate, ac rei[ci]cite,  
hoc tantum abest ut uerear, ut etiam me hydropotis  
persuasurum confidā, Ebrietatē esse antiquitatis gra-  
tia admirandam, utilitate refertissimam. Quæ cum  
ostendero, uestra adsit æquanimitas, & qui sobrij,  
ut opinor, adestis omnes, sobrie iudicate. Sed iam  
ad rem, multas res commendat antiquitas, at quid  
Ebrietate antiquius? Ut quæ à Iudeis, Græcis, Tro-  
ianis, & cæteris deniq[ue] populis uetustissimis, in hæc  
nostra tempora, ad hos nostros populos deducta est.  
Ego, ne exemplorū farragine uobis molestus sim,  
paucula quedam conuerram. Noe uir ille Iudeus, ho-  
mo adeo iustus, ut etiam cum Deo ambulasse inscri=

Noe

aa iiiij

## ENCOMIUM

Loth

Ioseph

Græcorum  
Ebrietas

ptura dicatur, præterq; quod uineam plantabat, in  
qua uinum, præsens admodum Ebrietatis effector,  
proueniret; ipse quoq; uinum, quod felicissime pro=  
uenerat, bibens, inebriatus est. Sic enim scriptura  
de illo loquitur. Loth, uir Deo in paucis charus, ut  
quem Deus quādo iam Sodomam, quādo Gomorrhām  
incendio conflagrare uellet, cum familia sua superstī=  
tem esse, uel demissis de cœlo angelis, uoluerit, adeo  
Ebrietatis studiosus fuit, ut aliquando ebrius cum suis  
ipsius filiabus cōcubuerit. Quid dicam de Ioseph, qui  
nobis ipsissime Christum adumbrat, an non Ebrieta=  
ti indulxit? Scriptura certe narrat Ioseph, & frātres  
qui fame uel Saguntina ingruente ad se se uenerant,  
& lautissime accepisse, & ad Ebrietatem usq; cum  
illis bibisse. Quis nunc uestrum, optimi auditores, nō  
admiratur Ebrietatem ut quæ ab orbe condito, à tam  
sanctis uiris, tam sancte culta sit? De græcorum erga  
Ebrietatem studio, quid attinet multa commemorare?  
cum plena sit testimoniorum uictus, cum Alcibida=  
des uel hac una immortalitatem sibi compararit. Ex  
tat Platonis symposium, extant Plutarchi quæstiones  
conuiuales, ex quibus facile coniūcere licet, quām illa  
gens Ebrietatis studiosa fuerit, quantum Ebrietati tri=  
buerit, nempe quæ inter pocula de rebus grauissimis  
dimicarit, consultarit. Extant Ebrietatis apud græ=  
cos clo-

## E B R I E T A T I S

cos elogiaq; plurima. Ego ne Chrysippeo rerum acer  
uo, molestus sim, uel unum ex Equitibus Aristophanis Encomium  
nis Encomion adferam. ὅταν τίνωσι ἀνθρώποι ebrietatis ex  
τότε πλαστούσι, παπεράτοισ, νικῶσι δίκαιος, Aristophane  
οὐδεμιόνοισι, Hoc est, quando biberint homines,  
tunc ditescunt, peragunt, uincunt caussas, bene for=  
tunati euadunt. Græci ne Ebrietatis studium interci  
deret, leges quasdam symposiorum promulgabant.

Inter alias est lex illa nulli non opinor, melius q; un= Leges sympo  
gues sui, nota. ή πίει ή απίθει. Aut bibat aut abeat.

Est & illa lex, ή πέντε πίειν, ή τρία, ή μή τέτ  
ταρα.

hoc est, aut quinq; bibe, aut tria, aut ne quat  
tuor. Est tertia lex, μισθῷ μνάμονας συμπότιων

Odis memorem compotorem. Plutarchus & orator

& Philosophus grauissimus, scribit Dores in Sicilia

symposiorum præfectos μνάμονας appellasse, quos

latini modiperatores uocat, autore Nonio Marcello,

quod bibendi modum imperarent, & hæc quidem de

Græcis. Venio ad Romanos, qui usq; adeo Ebrietatis

cultores fuerunt, ut mihi uix uerisimile sit, Franciscan  
os suum Franciscum, Dominicastros suum Domini-

cum religiosius colere. Tiberius Claudius Nero im= ebrietas

perator Romanus longe clarissimus, adeo uini audius

fuit, ut pro Tiberio Claudio Nerone, Biberius Cal=

dius Mero appellaretur, quæ cognomenta tantū abest,

In primo ser=  
mone cōniali

Romanorum  
ebrietas

## ENCOMIVM

ut laudum suarum gloriam obscuratura putaret, ut  
etiam hinc uel unicam gloriam apud posteros spera-  
rit. Lucius Piso, quod biduo, duabusq; noctibus, po-  
tationem apud Tiberium Cæsarem continuasset, ur-  
bis Romanae præfecturam adeptus est. Prætereo Dru-  
sum Cæsarem, in quo, Tiberium dicam an Biberiū,  
bibendi fortitudine renatum credas. Taceo Marcum  
Antonium, ut nulla altare, Ebrietatis tamen gloria  
clarissimum. Omitto Catonem, morum Censorem  
grauissimum, qui ut alijs rebus omnibus, ita & Ebri-  
etatis laude alijs palmam præripuit. Agite uero audi-  
tores optimi, an non hæc exempla Ebrietatem mira-  
bilem, honestā reddunt? Possem hic recensere AEgy-  
ptios, apud quos ne Ebrietatis numen excluderetur,  
AEgyptij potum ex fruge confici solitum fuisse, Plinius autor  
est. Possem hic commemorare Hispanos, qui omnes  
Ebrietatis placidissimum numen religiosissime colue-  
runt. Sed uenio ad nostros populos, qui ut omnia à  
ueteribus, ita Ebrietatis quoq; studium, uelut per ma-  
nus acceperunt. Est apud nos gens Saxonica, adeo  
Ebrietatis laude celebris, ut præ illa, Græcia sobria fuis-  
se uideri possit. Dabitis mihi ueniam, quicunq; ade-  
stis Saxones. Nam non tam lædendi patriam uestram,  
populares uestros, quàm ornandi Ebrietatem gratia,  
uestri mentionem facio. Spartam nactus sum, hanc  
ornem

Saxonum  
Ebrietas

## E B R I E T A T I S

ornem oportet. Neq; uero uos Saxones, hanc laudem uobis priuatim asseritis. Date mihi populum Germanicum, qui non libenter bibat, qui non Ebrietatis studio impendio deditus sit. Date mihi Francum, date mihi Sueuum, date mihi Bauarum, date Polonum, si non Ebrietatis Symystes uel religiosissimus fuerit, nullum recusabo supplicium, adeo uerum est quod Erasmus ille magnus scribit ut Britannos πολυφαγας, ita Germanos πολυποσιας laudem uendicare. Nō parum Ebrietatem cohonestant, tot compotandi rationes, à tot populis, & inuentæ & ad posteros ueluti per manus traditæ. Sunt qui ad Musarum, sunt qui ad Gratiarum nomina compotant. Certatur poculis dimidiatis, contenditur integris poculis, pleriq; contendunt trifolijs, addito ne parum uinosi putentur, auctario quodam non uulgari. In plerisq; regionibus & plenis uasis compotationis certamina sumuntur. Nobiles fere familiares suos poculo quodam honorario, quod græce significantius q̄ latine θελεύθειν ap pellaueris, excipiunt. Pleriq; peracta compositione, in harenam descendunt, adeo belli gladiatores, ut sæpe uitro abiecto, abiecto poculo in medio luto se prouoluant. Certatur & poculis feriarum Pentecostes. Vulgaris compotandi ratio est, si duo calicem exiccent. Sed quid arenam metiorē citius Iupiter

Compotandi  
rationes

Eyn wil  
kummen

## ENCOMIUM

tellurem effundet in undas , diluvio miscens, ut inquit  
Poeta , q̄ ego omnes compotandi rationes percensue  
ro . Has uero paucas quasdam enumeraui , ut ostende  
rem uobis , q̄ nullo non studio solers in rebus inueni-  
endis mortaliū genus , Ebrietatem promoueret, hone  
staret, coleret . Sed parum sit Ebrietatem tot popu-  
lis , tot legibus , tot ceremonijs celebrari, cohonestati  
ri , nisi etiam ostēdero, nos natura duce , ad Ebrieta-  
tem inflammati . Natura quot quæso uini genera pro  
ducit? quæ si quis ipso numero , quod aiunt , explora  
ta habere uult, Plinium lib . 24 . historiæ mundi excu  
tiat . Cur uero natura in tot uini generibus producen  
dis occuparetur, nisi nos illis μεχεὶ κόρως , liceat mihi  
græce dicere , uti uellet? In nostris regionibus lupus  
salictarius prouenit, ex quo Lipsenses ceruifiam con-  
ficiunt . In Saxonia partim ex tritico, partim ex hor  
deo ceruifia paratur . Natura uero cur tot potus ge  
nera , tot res ad potus facientes , produceret? exco  
leret? nisi nos κατακόρως , ut græca uoce utar , po  
tare uellet? Sed quid tam multa de honestate Ebrieta-  
tis uerba fundo? expectatis dubio procul & illius utili  
tatem, quam cum uobis recensuero, uos quæso, ut ha  
cenus fecistis , benignas mihi dicenti præbete aures .  
Nec dubito quin futura comodorum Ebrietatis com  
memoratione, auris quantumuis delassata recreari pos  
sit .

Lupus salicta  
rius

## E B R I E T A T I S

fit. Principio Homerus ille ingeniorum fons; in ultimo Iliados libro, sanc q̄ eleganter scribit duo dolia in Commodo Iouis lumine sita esse, quorum alterum sit plenum tri ebrietatis stibus, alterum lātis, ex quibus ille mortalium fortunam temperans Αλλοτε μὴ τε κακῷ οὐκέ κύριος Homerus τὸ ἄλλοτε δέ εὐθαδίη, hoc est, nunc lātis uitam miscet nunc tristibus idem. Verum admodū maligne temperat Iupiter ille homericus, nimio plus admiscens malorum q̄ bonorum, ut si suam quisq; fortunam ad calculum uocet, minima sit futura ratio illorum quae nobis ex animi sententia eueniunt. Id quod eleganter dictum est à Pindaro ἐν πάντῃ εὐθαδίῃ, πίκαστραι συνδυούσι τῇ Κροτίσ. Quæ sic transpones. Ad unum tantum bonum, duo pariter incōmoda mortali bus in mortales distribuunt. Iam si quid esset, quod tantorum malorum sensum, si non prorsus auferret, at saltem mitigaret, an tantum non obuijs manibus, ut aiunt, arripiendum esset? Si quis corporis morbo afflictatur, et remedium quoddam nactus est, quod si non penitus morbum tollit, at saltem lenit, Deus bone, q̄ illud obseruat, magnificat, iactitat. Quāto pluris faciundum esset, quod pestilentissimos animi morbos, nocentissimas animi curas, si non stirpitus cueleret, at tolerabiliores redderet. Si autem quid aliud mi morbis me est, quod animu morbis, quod curis medetur, Ebrietas detur

## EN COMIVM

certe est, quotus enim quisq; tam ærumnosus est? tam  
inexplicabili curarum labyrintho implicitus? tam con-

**Nepenthe** .i. **carentis mole** tracta fronte? quim, si paulo meracius biberit, ærum  
narum, curarum obliuiscatur, frontem explicit, spes  
stia

duo ut Plutarchi uoce utar, quod Helena Telema-  
cho iam adeo sollicito propinans, omnes curas animi  
abstergit. Poetæ rerum omnium adumbratores Bac-  
chum nullo alio nomine Liberum uocant, nisi quod  
mentem curis, solitudinibus, morbis animi crudelis-  
simis liberat. Sunt in urbibus Cues qui sobrij pro-  
pter fortunæ malignitatem, nec interdiu, nec noctu  
suauiter quiescere possunt. Interdiu saepe à creditori-  
bus appellantur, in ius uocantur, in neruum ire iu-  
bentur. Iam postulat uxor ad macellum pecuniam,  
Iam liberi ad emendos panes pecuniam efflagitant.  
Multum illis dandum est, sed quod dent, exiguum sup-  
peditat, nam nihil dicere religio est. Noctu cædem cu-  
ræ uel citis quadrigis recurrent. Recursat animo cre-  
ditorum tyrannis, rei familiaris inopia, mentē subit  
in tam angustissimare, longissimam illis alendam esse  
familiam. Cogitant omnia sua pignora opposita es-  
se, dolent se ἄγεδαι οὐ φέρεδαι, ut inquit  
Strepsiades apud Aristophanem. At ubi largioribus  
poculis sese ingurgitarint, ieiubone, quos non cre-  
sos,

**Bacchus cur  
Liber**

## EBRIETATIS

sos, quos non Lucullos præse contemnunt. Iesu bone, q̄ animo beatissimi sunt, etiam si re, uel pauperitate pauperiores sint. Cura debitorum nihil animum illorum tangit, nihil de alendis liberis, nihil de alendi tota familia distorquentur, non quid in ius uocati respondeant iudici, reputant. Homines illi infelicissimi quidem sunt, sed Ebrietatis beneficio, felicissimi, ut quæ animum curarum pondere, uel AEthna graue ore oneratum, exonerat, ut quæ animum mœrore tantum non confectum, omni læticia delibutum reddit,

Adeo uerum est quod Homerus scribit.

Αὶ Λέπιωνος στήμελη τέκε χάρη μαρπόταιος

Et hinc esse opinor, quod Lipsenses ciues ceruisia  
et domesticam et Torgensem Gaudium uocant. Etenim homines quantumvis miseros, tristes, miro gaudio perfundit. Monachi certe qui ferre possent tot labores? tot uigiliarum, tot excubiarum, ut sic dicam, Iliadas? qui absoluere possent tam iniquum precum diurnarum, iuxta ac nocturnarum pensum? si non aliquando uel uino optimo, uel ceruisia exquisitissima se se exhilararent? Sed quid de monachis tantum dico? date mihi ullum hominum genus, quod non hoc comodi ex Ebrietate capiat, quod non molestum curarum agmen, huius præsidio profliget, quod non labores suos adamantinos, dulci adeo Ebrietatis laxae.

Cur ceruisia  
tam Lipsensis  
q̄ Torgensis  
Gaudium dicitur

## E B R I E T A T I S

mento mitiget, molliat. En habetis Ebrietatem ani-  
Ebrietas cor= ni morbos lenire, quid si corporis quoq; mala miti-  
poris morbos gare probem? quid uultis amplius? An non uero con-  
mitigat spicitis homines, quātumuis morbo graui implicitos,  
si largius biberint, tantum non reualescere? quod si  
uerbis parum creditis, at factis credite. Agitur in  
**In Neupurce** Mysia circiter ferias Petri & Pauli mercatus quidam  
in oppido non procul à Lipsia, ad quem gallico mor-  
bo correpti, claudi, muti, cæci, breuiter nulli non  
ægroti confluunt. A prandio ubi bene poti sunt, pub-  
licas choreas ductitant. Illic subito uideas è gallo gal-  
laceo, gallum gallinaceum fieri, claudum quovis pas-  
sere salaciorem, quauis capra petulantiorē saltitare,  
mutum si non loqui, at gestire loquendum, cæcum  
uel nullo ductore, nullo loco impingere. Tam saluta-  
ris res est Ebrietas, ut etiam morbos corporis si non  
prorsus aufert, at leniat, molliat. His commodis ac-  
cedit illud quoq;. Philosophorum sententiae in hoc  
conspirant, homines præter rationis usum, orationis  
facultate bestijs præstare. Iam uero parum referret  
homines oratiōe bruta antecellere, nisi pari facultate,  
Ebrietas homi pari successū, in omnes transfunderetur. Ut uero ex-  
nes facundos æquo in omnes oratio transfundatur sola Ebrietas  
facit præstat, cui rei fidem facit uersiculus ille uel pueris  
notus, Fluit melior post pocula sermo. Item ille Ho-  
ratianus

## ENCOMIUM

ratiānus testatur. Fœcundū calices quem non fecere  
disertum? Id uerum esse, quotidiana experientia  
discimus. Agricoli natura alioqui taciturni, natura  
ἀκετόμυθοι, cum ceruisia madent, O quos non Indiserti in  
Stentores, O quos non porticus ἐπανίχοσ, O quos uerbis  
non ferme Nestores loquendo, clamitando superant?  
Id quod à uero non alienum esse, neminem uestrum ig Plutarchus de  
norare arbitror, qui modo in tabernis ceruisiarijs, in inani loquaci  
Oenopolijs uersatus est. Solemus illos qui ad nos mitate.  
tūtur, prius iubere, ut bibant, q̄, quod in mādatis se  
cum ad nos deferunt, exponant. Vnde Achilles lega Homerus in  
tos illos ad se placandum missos, prius libertoribus po 9 Iliados  
culis reficit, q̄ legationis mandata percenseant. In  
nuptijs primum omnes muti, omnes elingues sunt,  
at ubi ceruisia maduerint, uino incaluerint, nulla nō  
æra dodonæa, nulla non Architæ crepitacula, uocife  
rando, saltitando superant. Qui nobiscum prandēt,  
qui nobiscum cœnant, si rogantur cur tam taciturni  
sunt, mox illud δ' ἀληθὲς in promptu habent, se ad  
huc sobrios esse, mox ubi paululum biberint, se lo-  
quatores fore. Et sunt hæc admiratione digna. Sed Psittacus lo-  
audite Aristotelem libro de naturis animatum s. nar. quatior fit, si  
rantem, Psittacum quoq; loquatorem fieri, si uinum uinū biberit  
biberit. Quid? quod uinum, unus Ebrietatis autor,  
non parū ad ingenij acrimoniam facit? Audire enim

bb

## E B R I E T A T I S

est operæ pretium hoc nostro seculo, quām agricultoræ  
ad pocula de Eccio, de Lutheru uelut profocis & aris  
digradientur. Audimus q̄ bene poti biblia teneant,  
biblia interpretentur, nulli monacho, nulli sacerdoti  
**Aetorum 2.** cedant. Hinc est opinor quod cum Apostoli, spiritui  
sancto illorum pectoribus illapso, magnifica Dei lo-  
**Id est,** ad ebri querentur, plerisq; musco pleni uisi sunt. O utinam  
etatem usq; pleriq; nostris temporis Apostoli, si non quotidie, at  
saltem die dominico uel μεχθλι μέθης biberent, ut  
pro Dormi secure, Scala cœli, purissimum Christi E=  
uangelium docere possent. Penè silentio præterieram  
Poetas, qui sobrij, nihil posteritate dignum, nihil ue-  
nustum prestare possunt, at ebrij, nihil non elegans,  
nihil non cedro dignum euomunt. Suffragatur mihi  
Horatius, qui præterq; quod Homeruni illum Poeta=rum alpha, uinosum appellat, addit quoq;. Nulla pla-  
cere diu, neq; uiuere carmina possunt, quæ scribun-  
tur aquæ potoribus. Adstipulatur uersiculus ille pro  
uerbialis apud Athenæū secundo dipnosophistarum li-  
**Id est, aquam** bro ὕδωρ ἡ ωἶνων χρήσον δυσὶ ἀν τέκης. Omit-  
**bibens nihil** to Poetam dicentem, Possum nil ego sobrius, bibenti  
**probū & uti-** succurrunt quindecim poetæ. Quis non igitur Ebri-  
**le paries** etatem amabit? quis non illam amplexetur? ut quæ ora-  
tionis uim, qua bestias excellimus, in nobis ex æquo.  
exuscitat, è crassis, stupidis, ingeniosos, industrios,  
penè

Poetæ

Homerus  
uinosus

aquam  
bibens nihil  
probū & uti=  
le paries

## ENCOMIUM

penè dixeram, θεολόγους facit, quæ Poetas, aues  
ad eo raras, reddit. Et sunt hæc quidem commoda ma id est, Deo  
xima, sed audietis non minora. Alcibiades in Sympo afflatos  
suo Platonis ὄντος inquit, ἀνεβούσιον εἰ μὲν τούτο  
σωπὸν ἀληθής hoc est. Vinum et sine pueritia et In uino  
cum pueritia ueridicum est. Magistratus nescio quæ ueritas  
tormentorum genera excogitant, quibus uerum à fu  
ribus, homicidis, sacrilegis exculpant, cum id Ebri  
etate lenti, ut Horatius inquit, tormento et citius  
et efficacius efficere possint. Quantum quæso tem  
poris exigitur? dum carnifex, hominem aliquem aut  
in tympanum, aut scalas distractum, candelis arden  
tibus sub axillas adurit, cum membratim corpus didu  
cit, sæpe illa inhumana inhumanitate et oleum et  
operam perdens. Proinde multo rectius, multo ho  
minibus dignius est, illud cuiusdā Persæ apophtheg  
ma, qui negauit tormentis opus esse, ad exquiren  
dum uerum, uino enim id rectius elici. Etenim quid  
quid est in corde sobriorū, hoc in lingua Ebriorum  
est, adeo ut aliquando etiam, uoces per iugulum re  
dituras, effutiant. Hinc principes, consiliariorum  
suorum ingenia, mores, animum erga se exploratu  
ri, ad compotationem largiorem illos inuitant. Id  
quod Horatius indicat, dum in arte poetica inquit,  
Reges dicuntur multis urgere cucullis, Et torquere

bb ij

## E B R I E T A T I S

mero quem perspexisse laborent, an sit amicitia dignus. Sunt qui corporis robur magno emerent, at illud uel una Ebrietas praestat. Et si mihi forsitan derogas fidem, audi quid dicat poetarum minime mendax Horatio fatigato merus. οὐδεὶς κεκτημένος μετα' οίνος ἀείσθησεν. Id quod perspexerunt imperatores, qui in bello praeter alia multa, hoc unum prospiciunt, ne exercitus potius inopia laboret, dubio procul non clam illis est, corporis robur, perpetua bellandi assiduitate exhaustum, uino, ceruisia, restaurari. A balneis nemo non nostrum poculis largioribus indulget, nullo alio nomine, nisi ut uires caloribus debilitatas, restauraret. Quid? quod homines alioqui uel quibusuis damis fugatores, ubi paululum biberint, nec cum Marte ipso, nec cum Bellona in certamen descendere formulant. Cui rei fidem facit Horatius in libro Epistolarum pri. Quid non Ebrietas designat? operta recludit. Spes iubet esse ratas, ad prælia trudit inermem. Sunt Philosophi qui non adeo igne, non adeo aqua, atq; amicitia opus esse asserunt. Illa uero nullibi facilis contrahitur q; inter pocula. Plutarchus mensam φιλόποιοp hoc est, amicitiae conciliatorem uocat, quando enim in una mensa accumbunt, quorum aliis alium uel nunq; de facie uidit, mox ultro citroq; bidenti uicissitudine arctissimo amicitiae foedere copulatur.

Huc

## ENCOMIVM

Huc pertinet quod in tabernis meritorij, & alijs locis in quibus ad compotandum conuenitur, aliis alijs conciliandæ amicitiae gratia propinat. Scythæ Lu= Scythæ ciano autore, uel adamante firmiores amicitias putabant, quas inter pocula contraxerant. Porro Christus charitatem suum mandatum esse dixit, tesseram esse docuit, qua illi, qui sub suo præsidio militent, cognoscantur. At illa inter compotores maxima est. Charitas uel Paulo teste, non tam sui compendij, q̄ aliorum est studiosa. Iam quotus quisq; potatorum est, qui non mallet suum compotorem, q̄ se plenis poculis obrui? Illa compotorum charitas, etiam popularibus sermonibus iactatur. Eat modo quisquis uolet, & Ebrietatem ut homine indignam calumnietur, cum hæc amicitia inter se iungat homines, hæc charitatem inter homines exuscitet. Non ullum uerbum de Ebrietatis commodis faciam, si hoc unum addidero, Ebrietatem uenenum quoq; ipsum, quo non aliud presentius, è medio tollit homines, in hominibus extinguere. Quod si fortasse uobis nō uerisimile uidebitur, Audite quæso, quid Liuus Historicus ille celebris, de Vibio Virio senatore Campano memoriae prodiderit, qui cū bene epulatus, cum septem et uiginti senatoribus alijs uenenu sumpsisset, impletæ uino ciboq; uenæ minus efficacem in maturanda morte uim ueneni.

bb iij

## E B R I E T A T I S

fecerunt. O diuinam Ebrietatem, quæ ueneno uenenum est, quæ, quod homines citius dicto prorsus ex animat, ejicit, innoxium facit. At uero hic non dubito, quin pleriq; inter uos mihi tam immodicis laudibus, Ebrietatem efferenti, obiecturi sint. Ecquor sum attinet te argumentis, nescio quibus, Ebrietatem attollere? Nostin quid Christus saluator noster dicit? Ne grauentur corda uestra crapula & Ebrietate. Praeterea, Paulus ad Ephesios inquit. Ne bibite uinum in quo est luxuria. Audite uos quicunq; his locis Ebrietatis laudes eleuatis, non nego locos, non nego auctoritates, sed recte interpretor, sed Ebrietatis à me laudatæ laudibus, ne tantillum quidem detrahere contendeo. Primo omnium, Christus non dicit, ne in ebriamini, sed ne grauentur corda uestra Ebrietate. Dubio procul interminans Ebrietatē illam furiosam, quæ non uoluptate quadam mentem perfundit, sed prorsus extinguit, de qua nos non ullum uerbum fecimus. Nos illius Ebrietatis Encomium decātauimus, quæ à tot sanctis uiris, tot populis celebrata est, celebraturq;, quæ tot commodorum nundinas secum importat. De illa uero corda hominum grauante, nihil diximus quicq;. Porro quod Paulus dicit, Ne bibite uinum, in quo est luxuria, non certe nobis uini usum in totum interdicit. Geneseos cap. 2. Scriptura inquit

## ENCOMIUM

ra inquit; Quod omnia quæ Deus creauit, fuerint  
ualde bona. Vinum cum creatura Dei sit, qui nam fas  
erit, ab hoībus prohiberi, ne in usum uertatur? Pau  
lus alias omnibus à Deo in usum nostrum creatis, cum  
gratiarum actione utendum esse scribit. Qui nam igi  
tur hoc loco uini usum nobis interminabitur? Proinde  
uidetur mihi Apostolus, immoderatū illum uini usum  
interdicere, qui mentem eripiat, qui nulla uoluptate  
nos recreet. Alioqui si in totum nos à uino, Ebrietatis  
effectore maximo, abstinere uult, cur nam Timo  
theum suum iubet, ut uino, ad refocillandum stoma  
chum utatur? Auditis optimi auditores, q̄ nihil agāt,  
qui his scripturæ locis, Ebrietatis laudes obnubilare  
uolunt. Quod si uobis non tot sancti uiri, tot popu  
li, Ebrietatis studiosissimi cultores, Ebrietatem com  
mendant, si uobis non Ebrietatem commendatam red Epilogus  
dit, quæ morbis tam animi q̄ corporis medetur, ora  
tionis facultatem nobis suppeditat, ingeniosos, soler  
tes facit, quæ Poetarū furorē adauget, uires corporis  
fractas restaurat, uenena extinguit, si inquam hæc uo  
bis Ebrietatem non fauorablem fecerint, pœnitabit  
me tam multorum uerborū, donec uixero. Ego dicēdi  
finē facio. Vos ualete, et quæ dixi expendite, ut per  
noscatis Ebrietas exigēda, an recipiēdasit uobis prius.

D I X I.

bb iij

# ENCOMIVM

M V S C A E E L V C I A N O ,

I N T E R P R E T E C H R I

stophoro Hegendorphino .

M V S C A L O Q V I T V R .

*Musca ego sum, fateor, totum contempta per orbem*

*Non ullo possum uiuere tuta loco .*

*A patinis pellor , locus inter pocula nullus*

*Est mihi , sum frönti non bene grata tuæ .*

*Sed lege , de me quæ conscripsit Lutius olim*

*Non dubium est tibi quin gratior hinc fueris .*

*Si graia minime poteris me noscere lingua*

*Me lege , quæ latia sum celebrata phrasî .*

F

I N I

S

D I K I D

CHRISTO  
PHORVS HEGENDOR  
PHINVS IOACHIMO MI  
riciano & Iohanni de Konopath Polo-  
no, discipulis suis Salu-  
tem Dicit.



VM NV PER INTER  
alia Lucianica, istud Muscæ  
Encomiū mihi in manus in-  
cidisset, non potui non lati-  
nis hominibus latine redde-  
re, partim quod exemplum  
est illarum materiarū, quas

Aulus Gellius & dōξσ à ueteribus appellatas scribit.  
Partim quod huic tempori, quo muscæ adeo nobis mo-  
lestæ sunt, non male congruere videbatur. Vobis ue-  
ro duobus quicquid est libelli, dedicare uisum est, si-  
mul ut mei erga uos amoris argumentum esset. Simul  
ut ad literas bonas, quarum amore flagratis, perpe-  
tuo amandas instigaret. Non dubium est, quin, bo-  
ni uiri, boni, quicquid est, cōsulturi sint ὁ Λέξιος,  
ξελός. Quod si mali nostrum institutum carpe-  
rint, nō erit curæ Hippocli, ὁ μὴ πονηρὸς οὐδὲ

bb 5

## M V S C AE

ἄλλο τῷν κακόσ, ut inquit Euripides. Bene  
ualete in Christo IESV, & me, ut facitis amate.  
Lipsiæ ipsisferijs Magdalene.

## ENCOMIUM MVS C AE

**A magni** **M**usca non minutissima avium est, si Mulioni-  
bus, si Culicibus, & his etiam exilioribus com-  
paretur. Sed tanta illas magnitudine superat, quanto  
ipsa ab ape longo interuallo relinquitur. Volitat nō  
**A volatu** ueluti aliæ aues uolare solent, ut cum his quidem cor-  
pore undequaq; efferatur, cum illis uero alis primo-  
ribus utatur, sed more Locustarum, more Cicada-  
rum, more Apum, uolare consuevit. Nisi quod ma-  
gis q̄ illi alis strepitat. Hoc alis mollioribus prædicta,  
quo uestis Indica & tenuior & exilior ueste Græca  
est. Evidem non aliter atq; Pauones, alarum flore  
decora est, maxime si quis illam obtueatur, quando  
alis ad solem explicatis subuolat. Porro uolatu suo  
non uespertilioes continua alarum agitatione refert,  
non more Locustarum cū subsultatione quadā, neq; ut  
Vespæ cum Bombo quodam uolitat, sed æqualiter ad  
quamlibet aeris partem se porrigit. Adhæc hoc quoq;  
Muscae accedit, quod non tacite prorsus, sed cum can-  
tu quodam uolitat, non minaciter, ut & culices &  
Muliones faciunt, non graui Bombo molesta est, ut  
apes,

## ENCOMIUM

apes, non horribile quiddam, non minax uolatu suo  
præ se fert, ut Vespis in studio est, sed hoc suauior  
est, quo & tuba & cymbalis tibiæ mellitus sonant.  
Cæterum tota corporis harmonia hæc est. Caput  
quidem arctissime ceruici astringitur iuxta ac cir-  
cūactile est. Non enim ut Locustis ita Muscis quoq;  
caput concretum est. Oculi uero prominuli sunt, nō  
parum cornu habentes. Pectus ipsum bene adfixum Ab omnibus  
est. Excreuerunt illi pedes, non ueluti Vesparum corporis mem-  
pedes sunt, adeo constricti. Quid q; & ipse uenter bris  
satis munitus est? adeo ut thoracem dicas. Cingulū  
illi est latum, squamis obsitū. Quod si impeditur, nō  
se natibus ulciscitur, ut Vespa, ut Apis, sed ipso ore,  
ipsa Proboscide, (nam & hac non aliter, atq; ele-  
phas prædicta est) & prædatur et arripit ac adnata re-  
tinet, coxæ in summo non absimilis. Ex ipsa uero  
dens prominet, quo morsicat, bibit sanguinē. Bibit  
& lac, morsicat uero non adeo magno dolore illo-  
rum, quos mordicus arripit. Sex pedibus innititur,  
quatuor quidem gressum facit, anterioribus uero ui-  
ce manuum utitur. Si uideas illam quatuor inceden-  
tem, & edulij quid in manibus gestantem, mi-  
rum ni admodum hominem referre dixeris, adeo  
non aliter atq; nos se gerit. Neq; uero Musca statim  
euadit. Primo omnium uermis est, qui uel ex homi-

**Generatio  
Muscae**

**Ab intellectu**

**Ab animi ma-  
gnitudine**

nibus uel alijs animantibus uita defunctis proserpit.  
 Deinde non multo post, pedes effert, nascuntur alæ  
 ex reptili, auicula nascitur. Ut erum fert, uermem  
 quendam parit, postremo musca prodit, ijsdem qui-  
 bus homo cibis alitur. Non aliud q̄ homo uictum  
 queritat. In eadem mensa cum homine accumbit,  
 omnia gustat, præter oleum. Hoc enim si bibat mo-  
 ritur. Vita est non admodum diuturnæ, oppido an-  
 gustis limitibus, uita illius circumscripta est. Ipsa lu-  
 ce impensisime gaudet, in hac uersatur, noctu quidem  
 interquiescit, neq; uolatu, neq; cantu ulli negotium  
 facescit, sed subuolat & interquiescit. Intellectu ue-  
 ro non mediocri pollere, dicere possum, maxime cū  
 insidiatorem, iuxta ac hostem Araneum fugit, illum  
 enim insidias strucentem, obseruat, oculos ab illius nō  
 dimouet oculis, declinās impetu, ne irretita capiatur,  
 ne retia bestiolæ huius incidat. Porro de animi magni-  
 tudine, de fortitudine non oportet nos multum tempo-  
 ris dicendi occupare. Siquidem facundissimus Poeta  
 Homerus extra omnem aleam positum Heroem laudi-  
 bus uecturis, non Iconi, non Pardali, non sui illius for-  
 titudinem comparat, sed audaci animo Muscæ, ut  
 que tam intrepide, tā alacriter homines aggreditur.  
 Neq; uero temeritate, sed audaci pectore celebris est.  
 Sic enim inquit Poeta. Et licet excludas tamen haud  
 desistit

## ENCOMIUM

desistit, at usq; immittit morsum. Adeo magnis laudibus muscam honestat, adeo illam amore prosequitur ut non semel, neq; paucis locis illius mentionē aspergat. Vsq; adeo Muscæ mentio uersibus ornamentū addit, modo enim gregarium eius uolatum ad lac percenset. Modo uero Mineruā, à Menelao telum, ne in leta lia membra incidat, propulsantem, comparans matri sane q̄, super puero somnū capiente, sollicitæ, Muscam exempli loco inducit. Præter hæc pulcherrimo Epitheto ipsas ornat, dū & dī vā & hoc est, assiduas frequentesq; appellat. Nō parum muscis tribuit, cum gregem illarum, gentem uocat. Adeo utribus pollet, ut ipsa morsicando uulnus incutiat. Neq; uero solum hominis cutem adfligit, sed etiam leonis, sed etiam equi. Quid? quod et Elephāti (nares illius ingressa, sua ipsius proboscide, pro magnitudinis modulo) negotium exhibit. Enim uero congressus concubitusq; nuptiarum, multa ipsis libertas est, & masculus non quidem more Gallorum, si conscenderit illico desilit, sed deportatur aliquandiu à fœmina, & illa sponsum suum portat, & conuolant, aereum illum concubatum, uolatu nō interturbantes. Si etiam Muscæ caput amputetur, aliquandiu in corpore & uiuit & spirat Hæc que dixi parua sunt, Hoc quod in illarum natura multo maximum est, narrare cōsillum est. Illud numi

Ab Epitheto

oneda.

mitte p. 7A

M V S C AE

rum quod unum Plato ille in disputatione de immor-  
talitate ipsius animæ, præterijſſe mihi uidetur. Muſ-  
ca enim demortua cinere superfuso ad uitam reddit. Et  
noua quædam generatio, et uita alia de integro illi ex-  
oritur. Sic persuasum omnibus eſſe reor, anima Muſ-  
carum immortalem eſſe. Siquidem licet abeat, tamen  
postliminio reddit, cognoscit, exuscitat corpus, Muſ-  
cam uolatu promouet. Hæc, fabulæ de Hermotimo  
Clazomenio fidem facit, de quo memorie proditum  
eſt, quomodo anima ſæpe illum deſtituerit, quomo-  
do alio profecta ſit. Deinde uero quomodo reuersa,  
corpus occuparit, Hermotimum reſuſcitarit. Sed ad  
Muſcam noſtra redeat oratio. Muſca otio non illuben-  
ter indulget. Non ingratis quieti nauat operam. Illis,  
quæ ab alijs magno labore parta ſunt, fruitur. Nulla  
non mensa illius frequentia, referta eſt. Non capræ  
mulgentur, quin muſca adſit. Apes non minus Muſ-  
cis q̄ hominibus ſuam nauant operam. Coqui, muſca  
ſæpe obſonia cōdiunt. Regibus iſpis cibos prægustat.

**A frequētia** In mensa ultro citroq; comeans tam lautis quam Rex  
dapibus accipitur. Breuiter nullis non quibus rex fru-  
itur. Nidum, ſeu ut rectius dicā, domum non uno lo-  
co constituit. Immo errabundo uolatu, uel ad Scy-  
thas uſq; defertur. Vbicunq; uero nocturnis tenebris  
opprimitur, illic & larem constituit & nidum figit.

In tene-

## ENCOMIUM

In tenebris, ut antehac dixi, nulli rei dat opera, neq; enim cupid latere, si quid facit, neq; inducit qui ppiā facere, quod factum illi pudorem incutiat. In fabulis traditur, Muscam olim puellam quandam fuisse, for Metamorpho ma egregia, loquaculam, nugacem, canoram ut quā sis Muscæ maxime, quorū nomine à Diana adamata sit. Ambas uero Endymionis amore flagrassē. Deinde uero ubi odiose nugacula, cantiunculis obstrepera, petulāter gesticulosa, adolescentem somno deditum, subinde excitaret, illum ægre tulisse. Dianam uero ira percitā, hoc nomine illam in Muscam transmutasse. Et hinc es se pleriq; putat, quod omnibus somno indulgentibus maxime uero iuuenibus, & illis quidē teneris somniū inuidet. Etenim Endymionē nōdū è memoria excidis se credibile est. Porro quod morsicat, quod sanguinis desyderio flagrat, non tam ferotiae q̄ amoris, iuxta ac benevolentiae erga homines documentum est, & quā tum fieri potest, & uenustula est, & nonnihil etiā de uenustatis flore decerptum est. Floruit olim & eiusdem nominis, Poetria quædam forma oppido q̄ elegāti, ac cordata mulier. Fuit & meretrix quædam apud Athenienses insignis, de qua Comicus quidā Poeta dixit. Musca ad pectus usq; morsum adegit. Adeo neq; Comicus Muscæ mentionē facere dignatus est. Quid uero commemorem quod nec parentes, suis

M V S C AE

filiabus muscarum nomen indere pudet? Musca & in  
Tragoëdia non mediocri laude tollitur. Sic enim prodi-  
tum est. Mirum uero Muscam intrepido robore uiro-  
rum corpora, ut etiam cæde impleantur, infilire. Vi-  
ros uero armatos, hostium trepidare hastam. Amplius  
dicendi campus, de musca Pythagorica mihi aperire-  
tur, nisi illius historia notior esset, q̄ ut narrato opus  
sit. Nascuntur uero maximæ Muscæ, quas multi mili-  
tares uocant, tum bombo asperrimo tum uolatu perni-  
tiosissimo preditæ. Illæ uero diuturnam agūt uitam to-  
tum hyemem citra cibum transfigunt. In laquearia ma-  
xime subuolant. Deniq; quod in illis admiratione, ma-  
xime dignum est, utraq; & quæ virorum, & quæ  
fœminarum sunt officia faciunt. Incendentes non ali-  
ter atq; filius Veneris & Mercurij, mixta natura,  
**Aptus epilo-** gemina pulchritudine conspicuæ. Multa  
gus per pro- mihi adhuc sylua de muscis suppeta-  
uerbium. ret. Sed finem orationis faciam,  
Ne uidear iuxta Proverbiu[m],  
ex Musca Elephantem  
facere.

EPI T A P H I V M  
EPI T A P H I

V M M V S C AE

Musca iacet dulcis, phiala submersa, Lyæi.

Cæsar is epotans pocula, Musca iacet.

Musca iacet, patinas uolitans per Cæsar is amplas.

Musca iacet Cereris maxima pernities.

Musca iacet, solita est, quæ regum lædere frontem.

Musca iacet cinis est, quæ cinis ante fuit.

CLARISSIMO

VIRO L A V R E N T I O

Zoch Iuris utriusq; D. Doctissimo, Re-

uerendissimi Episcopi Moguntinen-

sis à consilijs, Domino suo cum

primis obseruando, Chri-

stophorus Hegendor

phinus. S. D.

**N**ON sum nescius, Doctor doctissime, plerosq;  
me & temeritatis & frontis perficitæ accusa-  
tuos, quod ego homo nullius in literis græcis nomi-  
nis, parua orationis latine supellectile instructus,

cc

istam Demosthenis orationem uertere nō dubitarim,  
qui præterq; quod inter Græcos Oratores facile est  
grauissimus, ita quoq; est Atticissimus, adeo ut nisi  
quis atticismos melius quam unguis suos teneat, nisi  
linguæ latinæ ditissimus sit, nō admodum laudabilem  
in Demosthene uertendo operam sumat. Irritabit &  
multos hoc, quod non solum Orationem istam à me  
uersam in scholis Iuuentuti pronunciarim, uerū eti-  
am in lucem edam. O clamitabunt quam uerum est  
illud Thucydidis ἀμαθία μὲν θράσος, λογοτύπος  
λόκυον φέρει. Clarissime doctor agnosco temerita-  
tem, agnosco frontē inuercundā, sed ita ut sperem me,  
si non oībus, at candidis, & quis hoībus probaturū istā  
meam temeritatem, istam mēā propudiōsam frontem,  
non omnino damnabilē esse. Principio cū Lipsiæ ora-  
tionem istam Demosthenis scholæ publicæ prælegen-  
dam suscepisse, uidebam auditores sententias Demo-  
sthenis nō asscuturos, nisi illas seorsim dictarem. An  
uero illud quantumuis temerarium, quod publicæ  
utilitati datur, in criminē esse potest? Si quis in sylua,  
omnibus uijs, & arboribus & dumetis undiq; inter-  
clusis, in medias arbores, in media dumeta irrumpē-  
ret, & uiam qua commode tri posset, faceret, teme-  
rarium quiddam auderet, sed nihilominus, uia, qua  
ingredi liceret, aperiretur. Ego, cum Orationē De-  
mosthenis

mosthenis in manus sumpsisse, et uiderem omnia  
undiq; sententiarum, iuxta ac atticis morū angustijs oc-  
clusa, temerariū quidem facinus audeo, dum oratio-  
nem uerto, sed utile, ut quod efficiebat, ut auditores,  
quod audirent, assequerentur. Deinde cum animad-  
uerterem, iuuenes, apud nos mire in uertendis Græ-  
cis frigere, uolui uel meo periculo, edita in lucem  
oratione (Non enim admodum mouent iuuentutē,  
illa in scholis dictata) iuuenes ad græca uertenda  
inflammare. Dubio procul uisa ista oratiōe à me è græ-  
co in latinum conuersa, sic cogitabunt. Si ille in De-  
mosthene autore tam graui, tam difficiili uires suas ex-  
periri non dubitauit, eccur nos in autoribus faciliori-  
bus non etiam uirium nostrarum periculum ceperi-  
mus? Enī audis clarissime doctor, me temerarium qui-  
dem facinus designasse, sed quod iuuentuti cumpri-  
mis usui futurum sit. Postremo licet mea curta dicēdi  
supplex, non omnibus grauissimi Oratoris orationi-  
bus explicandis sufficerit, tamen quod potui, candide  
præstiti. Est uero in magnis et uoluisse satis. His o-  
pinor rationibus apud æquos homines meām temerita-  
tem tueri potero. Quicquid uero maleuoli, iniquire  
rum omnium iudices in me dixerint, in paruo ponā  
discrimine. Solent illi Aristarchi, si Dijs placet, in-  
star quorundam canum, saepe quidem latrare, sed

cc ii

raro mordere. Cæterum cum sine patrono præsertim  
isto seculo, quo ferè illi iniqui censores regnant, in lu-  
cem edere, parum tutum esset, tu imprimis occurre-  
bas, cuius patrocinio, oratio in publicum prodiret.  
Tum quod mihi probe congruere uidebatur, ut elo-  
quentissimus Orator, tibi uiro eloquentissimo com-  
mendaretur. Tum, quod tua priuata in me merita  
postulabant, ut uicissim meum erga te studium testi-  
ficiarer. Quidam dixit, Turpe esse amico unice amā-  
ti in amore non respondere. Ego uero nō minus tur-  
pe puto, amico de se bene merito, non quacunq; ra-  
tione fieri potest, ἵστον ἵστῳ αὐτῷ Φέρειν conari. Ac  
cipe igitur doctissime Doctor, orationem istā à me uer-  
sam, mei erga te amoris testem, ut ille inquit, Atticū.  
Vulgo dici solet, cum illo debitore liberaliter agendū  
esse, qui, cum in solidum æs alienum dissoluere ne-  
queat, resolut quantum potest. Ego cum nomen  
meum, ex rationario tuo ad assēm usq; expungere nō  
possim, interim quicquid do boni consules, donec in  
solidum recluendi copia detur. Bene uale, et orationē  
istam tibi dicatam, eloquentia tua aduersus nostrates  
Sycophantas, quibus suis Atticis ad calumniādum pro-  
pensiōres, gnauiter tuere. Iterum Vale.

ORATIO  
DEMOSTHENIS DE  
RHODIORVM LIBERTA  
te, è Græco in latinum uersa.



RBITROR VOS, O  
uiri Athenienses, de rebus  
magnis, grauibus, consilia  
ineuntes, oportere cuili-  
bet dare libertatem consulē  
di quæ uelit. Ego uero non  
unq̄ magni negotij esse puta-  
ui, uos quæ optima sunt, docere. Ut enim quod sen-  
tio simpliciter dicam. Omnes mihi quæ facto opus  
sunt compertum habere uidemini. Sed persuadere, ut  
quæ optima uisa sunt, factis exprimatis, difficile ex-  
istimauit. Postq̄ enim aliquid uobis optimū factu uisum  
est, & communibus suffragijs decretum, tantum ab  
est ut fiat, quantum aberat priusq̄ uobis faciendum ui-  
deretur. Inter alia uero, quorum nomine uos Dijs gra-  
tias debere censeo, hoc unum est, quod iij, qui non ita  
diu cum summa illorum contumelia bellum uobis intu-  
lerunt, nunc in uobis solis salutis suæ spem ponant.  
Id quod cum aliâs, tum isto tempore dignū est, quod

cc iij

## DE LIBERTATE

animaduertatur. Si enim consilia, quæ oportet de re illa diuina, quod aiūt, uirgula, uobis oblata ceperitis, execrations, quibus pleriq; nostram urbem detestate sunt, ipso facto, cū clara nominis uestri gloria diluere continget. Conquesti enim sunt Chij & Bysancij, & Rhodij nos ipsis insidias ponere, & ideo bellum hoc postremū aduersus nos adornarunt. Porro certū est Mausolum, cuius & ductu & suasu omnia geruntur, qui se amicum Rhodiorum esse simulat, ipsorum libertatem ablaturum. Chij uero & Bysantij ostēantes se Rhodijs, cōmuni belli foedere obstrictos, rebus ipsorum adeo afflictis nulla ope succurrunt. At uos qui illis timori fustis, soli omnīū, salutis ipsis autores estis. Id quod si omnibus quaqua uersum populis innotuerit, hoc futurum est, quod multi in nullis non urbibus, certissimum salutis ipsorum signum habituri sint, si illis uobiscum amicitia intercedat, quo ecquod maius bonum nobis accidere poterit? quam quod tam multorum & quidem ultraneorum amicitiam nō prouisam adipiscimur. Cæterum hoc mihi mirum uideatur, quod uideo Bysantios iuxta ac Chios, aegyptiorum saluti consulentes, ut urbem illorum sibi deuincirent, diuersum adeo à sententia regis facere. In Rhodij uero populi libertate recuperanda, illū ipsum uirum formidare, cum illos græcos esse, omnes exploratum

## RHO DIORVM

ploratum habeant, hos uero in imperio regis disper  
fos neminem lateat. Nec opinor, plerosq; uestrum fu  
gere, quod cum de negotijs regis consilia conferretis,  
ego primus in medium progressus consulucrim, et ni  
fallor solus, aut certe secundus dixerim, uos mihi sa  
pere uideri, si non propter oblatam uobis armorū et  
reliqui apparatus belli occasionem, cum Rege inimici  
tiæ ansam quereretis, sed præpararetis uos, aduer  
sus inimicos, si qui emergerent, arceretisq; Regem il  
lum, si uos iniurijs onerare aggredieretur. Et hæc qui  
dem dixi. Vobis uero non recte dicta putabantur,  
quamuis uobis, hæc quæ à me dicebātur, cordi erant.  
Quod uero id temporis dixi, etiamnum dico. Si enim  
rex me in consiliorum suorum ordinem cooptaret,  
non aliter ipsi consulerem atq; uobis consului, nimi  
rum ut pro rebus suis ipsius asserendis, bellum conse  
reret, si quis græcorum illi aduersari uelit. Porro il  
lorum, quæ sibi minime conuenirent, nec imperium  
uendicare æquum esse. Si igitur, uiri Athenienses,  
penitus cognouisti, quam uiribus rex ipse creuerit,  
Nimirum, quod aliquos in urbibus ante uortat, quod  
foco facto, aliquos in urbibus cōmorantes, suis bo  
nis exigat, non recte, ut mea fert quidem sententia,  
cognouisti. Siquidem uos citra huius operam subsi  
diariam, nec ius uestrum belligerando tucri posse,

cc iiiij

## DE LIBERTATE

*In præ  
sentia  
re*,  
æqua, iniqua, ab illo tolerari oportere putatis. Prin-  
cipio hoc minus illius auxiliaribus copijs uobis opus  
erit, quanto magis ea quæ supra de rege dixi expen-  
deritis. Deinde, quæ oportet sapere uidebimini.  
Enim uero nihil noui in præsentiarum dico, dum iu-  
beo, ut Rhodios in libertatem uindicetis, neq; uos  
etiam, si à me persuadecamini, facietis, ego uobis  
memoriam illorum, quæ olim facta sunt, & quæ  
olim tulistis, renouabo. Vos o uiri Athenienses,  
aliquando Timotheum emisistis, ut Ariobarsanem bel-  
lo adiuuaret, decreto adiungentes, ne foedera cum  
rege disrumperet. Ille uero cum Ariobarsanem à rege  
manifesto descivisse conspicatus esset, Insulā Samum  
à Cyprothemiide, quem Tigranes regis præfectus, illuc  
collocarat, præsidijs munitam esse, Ariobarsani non  
auxiliarem in bello operam præstare improbum du-  
xit. Samum uero insulam obsidione premens, &  
bello cum Tigrane commisso, liberam reddidit, & in  
hodiernum usq; diem, propter hoc Timothei factum  
non ullū belli incendium exarsit. Non enim ullus tam  
ferociter pro rerum suarum pomerio propagando,  
quam pro rebus, quas aliquandiu possedit, in posse-  
sione retinendis bellum gerit. Si rebus nostris aliquid  
decedere uidetur, pro uiribus nemo non belligera-  
tur. At uero ubi pro rerum ipsarum finibus dilatan-  
dis decertatur,

## R H O D I O R V M

dactæ sint, uester populus liber esse permittatur. Cō  
pertum habent illi libertatis populorū osores, nullos  
alios populos, iterum ad libertatam recuperandam  
arma sumpturos. A quibus uero illis aliquid mali acci  
dere posse existimant, hos funditus subuertere uo  
lent. Cæterum alios quidem, qui in quosdam ciues in  
iurijs sunt, hostes ipsorum, qui iniurijs afficiuntur,  
existimare oportet. At illos, qui Rempub. pessun  
dant, ac è libertate in paucorum dominationem tra  
ducunt, communes admoneo, ut hostes habeatis.  
Nam omnes libertatis cupidi estis. Deinde & iustum  
est, ouiri Athenienses, uos liberos ita affectos uide  
ri erga populos in fortunio oppressos, ut alios erga  
uos affectos uolueritis, si, quod omen Dij auertant,  
tale quid contingere. Etenim quamuis quis dicere  
posset, Rhodios merito tantis malis expositos esse,  
tamen isto tēpore, istud dici non conuenit. Mea hæc  
est ratio, illos qui prospéro fortunæ flatu utūtur, opor  
tere semper optime uideri uelle his, quibus fortuna re  
flat. Siquidem quid futurum sit omnibus hominibus  
ignotum est. Ego quidem hic non raro aliquos dicere  
audio, quod cum urbs nostra olim periclitata sit, ple  
riq; illam seruare, communibus consilijs statuerint.  
Ex quibus ego in præsentia solum Arguorum, &  
quidem paucis mentionem renouabo. Non enim ue

771M

## DE LIBERTATE

Uos, qui semper commendati estis hoc nomine,  
quod infortunio laborantes, seruaretis, in hac re Ar-  
giis inferiores uideri, qui cum regionem, regioni La-  
cedæmoniorum finitimam habitarent, & illos terra  
iuxta ac mari potitos conspicerent, non moram inter-  
posuerunt, non reformidarunt erga uos beneuoli ui-  
deri. quid quod? cum Legati aliqui è Lacedæmone,  
ut prædicant, profecti, aliquos ex uestris profugis po-  
stularent, communibus suffragijs decreuerunt, ut nisi  
ante solis occasum abeant, se illos hostium numero  
habituros. Iam o uiri Athenienses, an non turpe erit,  
cum multitudo Argiorū non imperium Lacedæmo-  
niorum illis temporibus formidarit, neq; fortitudinē;  
si uos Athenienses Barbarum hominem, maxime si  
fœminam formidaueritis? Atqui Argii negare non  
possunt, se nō raro à Lacedæmonijs uictos, uos uero  
regē sæpenumero uicistis. Victi estis, ne semel quidē,  
nec à seruis regis, nec à rege ipso. Quod si rex urbe  
potitus est, aut pessimos quosq; Græcorum & prodi-  
tores ipsorum pecunia corrumpendo potitus est, aut  
nullo modo aliter potiri potuit, quanq; nec hoc qui  
dem ipsi contigit, quinetiam comperietis ipsum, ur-  
ben Lacedæmoniorum omni suo robore exuturum,  
& de imperij sui summa, bello aduersus Clearchum et  
Cyrum sumpto periclitaturum. Neq; uero manifesto  
Marte

## R H O D I O R V M

Marte unq uicit, nec per insidias sibi uincere contigit. Video plerosq; uestrū, Philippi quasi regis nullius precij sēpē numero curam abiçere. Regem uero Mausolum quasi inimicum uiribus pollentem, in his quæ sibi elegerit, formidare. Quod si illū, ut hominum leuis monetæ, non arcemus, huic uero, ut formidando omnia concesserimus, aduersus quos o uiri Athenienses signis collatis pugnauerimus? Non de sunt apud nos Rhetores, qui oppido quā grauiter dicunt, pro alijs aduersus uos, quibus ego consiliū dede rim, ut tam grauiter, tam eloquenter pro uobis aduersus alios, quæ iusta sunt dicere meditetur, ac ut ipsi, quæ recta sunt, primi factis declarant. Admodū enim absurdum est, aliquē uos quæ iusta sunt docere, ipsum uero non iustitiæ officijs occupari. Nec est iusti Ciuis in meditato quidem habere orationes contra uos, sed nullas quæ in rem nostram esse possunt. Agite igitur per Deos, perpendite. Quid uero tandem rei est? in Byzantio nullus est qui doceat illos, ne Calcedonem occupent, ut quæ regis quidem est, uos uero occupatis eam, & non honeste ab illis occupari potest, nullus est qui doceat, ne urbem uestram Sylimbriam aliquando belli sociam, ipsis tributariam faciant, & ne regionem istam Byzantij sibi adscribant præter iuramentum & pacta, in quibus liberi esse

## D.E LIBERTATE

populi scripti sunt. Neq; dum Mausolus in terris superstes est, neq; ubi in fata concesserit, Artemisiam ullus docturus est, ne Cœum & Rhodium & alias urbes Græciæ occupet, quarum urbium, fœderibus cū Græciæ populis initis, & rex illarum dominus, & pro quibus Græci, qui quondam floruerunt, multa pericula, præclara certamina exhauserunt, non stetit. At uereor quod nō dictis, ut æquum est audituri sint, etiamsi de utrisq; aliquis dicat. Ego uero æquitati consentaneum esse duco, ut populum Rhodiorum exulem in patriam reducamus. Quinetiā & si æquitati non consentaneum esset, tamen quando, ea quæ faciunt aspicio, conuenire arbitror, ut admonē uos, quo populum extorrem in patriā restituatis. Cur ita? inquiet aliquis. Nimirum q; cum nulli non populi, quæ iusta sunt, facere uelint, nos solos non uelle turpe futurum sit, tum quod quando alij uniuersi in hoc se accingunt, ut iniurijs homines grauare possint, nos solos, nullius rei ratione habita, iustitiæ studia præ nobis ferre, non iustitiam, sed fortitudinē arbitror. Video enim uniuersos ad pæsentem uim ferri, & ea quæ iusta sunt uelle. Cuius rei exemplum uobis omnibus cognitum commemorare possum. Sunt duo fœdera, quorum urbs nostra auctor est, quæ Græci cū regi iniuerunt, quæ nulli nō laudibus tollunt, & postea Lacedæmonij.

## R H O D I O R V M

Lacedæmonij, qui, quæ accusant fœdera, eadem latit  
de ferunt. In his uero utrisq; nonne hæc iura com=  
prehensa sunt? priuati in Repub. iuris, leges commu  
nem & æquabilem potestatem, & è media plebe po  
pulis & primatibus concederunt. Iuris uero publici  
optimates, infimatibus finitores constituti sunt. Cæ  
terum cum iura uobis & scire & condere contigerit,  
ut & factis ostendere in uobis sit, consyderandum  
est. Ut uero quæ iusta sunt factis exprimatis, hæc re  
medio fuerint, si animum induxeritis uestrum, uos  
libertatis omnium communes præfides esse. Non in=  
iuria quidem mihi maximi negotij esse uidetur, ut uos  
quæ decora uobis sunt, factis ostendatis. Nam cæ  
teris hominibus unum certamen aduersus hostes mani  
festos propositum est, quos si uicerint, nihil obstat  
quo minus rerum potiantur. Vobis uero, o uiri Athe  
nienses, duo certamina constituta sunt. Alterum  
quidem quod & alijs. Accedit & alterum illo iam  
dicto & prius & maius. Etenim oportet uos uelle  
uincere eos, qui apud uos constituerunt ea facere,  
quæ urbi uestræ exitio futura sint. Cum uero Tyran  
ni isti, Reipub. uestræ oppressores, adeo inuale  
rint, ut per hos nihil eorum, quæ decent, fieri sine  
magno labore, &, ut dicitur, citra puluerem, pos=  
sit, uestrum multos toto cælo deerrare contingit. Fa-

## DE LIBERTATE

ciunt & forsitan priuata commoda, quæ pleriq; accipiunt, ab illis qui mercede homines corrumpunt, quod multi intrepide istum Reipub. statum eligunt. Quinetiam & quis culpam perturbati ordinis Reip. merito in uos transferre posset? Oportebat enim, o uiri Athenienses, uos eam de Reipub. ordine sententiam habere, quam de ordine militari habetis, & quæ ista sententia est? dicet aliquis. Audite, uos illum, qui ordinem sibi à duce exercitus destinatum deserit, infamem esse oportere putatis, & indignum, qui cum ullo rerum cōmuniū particeps sit. Oportet igitur & eos qui ordinem Reipub. à progenitoribus uestris traditum, deserunt, & qui Rempub. sub paucorum principatum detrudunt, in ordinem redigere, & honore uobis consulendi priuare. Iam uero ipsos inimicos sociorum belli et amicos uobis iuramēti fœdere obstrictos, putatis uobis bene uelle, quā quos maxime. Inter Reipub. moderatores, quos manifesto urbis uestræ hostes destinatos esse compertum habetis, hos fidelissimos existimatis, sed non difficile est inuentu in uobis, quod quis damnet & alia quædam, ob quæ quis uos obiurget. Cæterum excogitare quibus rationibus, aut quibus factis ea in pristinum gradum reponantur, quæ iam suo mota sunt loco, hoc opus, hic labor est, nec forsitan hoc præsens tempus patietur,

## R H O D I O R V M

patietur. At si quæ proposita uobis sunt, honesta qua  
dam ratione corroborare poteritis, & alia forsitan  
singulatim se melius habitura sunt. Ego uero uestri  
officij esse arbitror, strenue harum rerum fatagere,  
facere quæ urbe uestra digna sint, illud animo repu  
tantes, q̄ gaudio uobis sit, si quando audiatis proge  
nitores uestros laudari, & quæ olim gesserint narrar  
i, & illorum uexilla commemorari. Agite ciues,  
putate progenitores uestros, hæc apud uos deposuiſ  
ſe, non ut illorum facta, uexilla ſpectantes ad  
miratione tantum duceremini, ſed ut  
etiam uirtutes illorum, qui hoc  
apud uos depofuerunt  
factis exprime  
retis.

D I X I.

Haganoæ per Ioan. Sece.  
Anno M. D. XXVI.

Stictica Linnae  
exolutos  
Ad amas nigrum  
Aglarum

A-3 Anakha A-5  
A-3:6 Anakha A-5:6:  
~~A-4~~ DORR  
~~A-3:~~

Gophers

comfort  
Capannia

A.05: copia B.2 cornuta B.2  
B.3:

Disciplina  
disciplina

A-3:  
A-7






A. 2813. 8<sup>o</sup>

X 2202853

Sb.

NAE



## Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



# DECLAMA

TIO IN LAVDEMEBRI

ETATIS, MIRE FESTI

ua, Lipsiae in corona uirorum doz  
ctissimorum pronunciata, ante  
hac non edita.

# ENCOMIVM

M V S C A E E L V C I A N O,

Interprete Christophoro He  
gendorphino.